



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XIV. Hominis contemplatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

motum, molem suam amant, quia voluit Deus. Custodiis quæque suis & stationibus fixæ sunt, quia vult Deus. Trepidabunt, si trepidationis motus in cælo est: in oppositum impulsui suo rapiuntur, extinguuntur, corrumpentur, corruent, si volet Deus. Utinam Christiani, quorum conversatio in cælis esse debet, discant loqui linguâ cælorum, & facere verbum Domini, nec præterire præceptum quod posuit.

XIV.
Hominis contemplatio.

Difficilis fortassis quibusdam ea lingua videatur: familiariorem itaque audiamus, & domesticam humani corporis. Sexcentos in illo musculos medici deprehendêre, eorumque officia sexies mille. Ossa trecenta annumeravêre, alia aliis inserta & infibulata: singulorumque officia quadraginta, id est universonum millia duodecim. Osseam compagem spectata, quod σκέλεθς dicimus, & cum medicorum principe eloquentissimum artificis sui panegyricum fatebere. Adde illi arborem venarum, ex hepate nascentium, arteriarum è corde,

NERVO.

nervorum è cerebro. Dein partes singulas scrutare, oculi fabricam, manuum structuram, cæterorum membrorum dispositionem, elementa quatuor in totidem humores corporis contracta, cæli situm & lumina in capite humano velut compendio exhibita, quaternas anni tempestates totidem hominis ætatibus expressas. Animæ facultates, & situm corporis, inter se compara, cum Philone libro 2. Allegoriarum legis. Vide rationem in summo capite sedentem, Regis instar, stipatamque sensuum satellitio. Irascibilem animalis facultatem in pectore clausam, septamque ossibus circum, velut loricâ. Concupiscibilem in infima regione, instar pedissequæ positam. Adverte quàm admiranda celeritate voluntati tuæ oculi, palpebræ, lingua, manus obsequantur: ut arcana illa & stupenda luminum interiorum, ex defæcatissimo sanguine emicantium, quos spiritus animales dicimus, in imaginando, reminiscendo, intelligentiæ subserviando, obsequia taceam. Disce, quantam anima tua auctori suo obedi-

tiam debeat, cum imperanti animæ eum in modum corpus obtemperet.

XV. *Harmonica
Dei gubernatio.* Postquam te contemplatus fueris, ad integras nationes, & universum hominum genus, oculos circûfer. Linguæ diversissimæ, innumeris vocibus constantes, partim inter se similibus, partim dissimilibus, iisdem tamen ubique literis, non tibi manifestè Deum nationes dividendum designabunt, etsi Babylonicam confusionis turrim in sacra Scriptura non legeris? Perspice interiùs varia ingenia & mores nationum: attende ubique paupertatem divitiis oppositam, vitia virtuti, sapientiam stultitiæ, vires infirmitati, prospera adversis, nascentemque ex ea compugnantia, velut ex contrariis vocibus, suavem harmoniam, proprium Dei opus. Considera subitas conversiones rerum publicarum, mirificas fortunarum vicissitudines, regnorum subitos ortus de nihilo, & præcipites occasus in nihilum. Dubitare non poteris, quin isthæc omnia à suprema mente dispensentur, ac regantur, licèt manum regentis